

Ossonos Laconicæ pariunt. Propria in eo genere maribus laboris alacritas. Viuunt Laconici annis denis, femina duodenis: cætera genera quindecim annos, aliquando uiginti. Nec tota sua ætate generant, fere à duodecimo desinentes. Felium & ichneumonum reliqua, ut canum. Viuunt annis senis. Dasypodes omnimense pariunt, & superfætant sicut lepores. A partu statim implentur. Concipiunt quamuis ubera siccante fœtu. Pariunt non cæcos. Elephantis, ut diximus, pariunt singulos, magnitudine vituli trimestris. Cameli duodecim mensibus ferunt: à trimatu pariunt uere, iterumque post annum implentur à partu. Equas autem post tertium annum, aut post unum ab enixu utiliter admitti putant, coguntque inuitas. Et mulier septima die concipere facillime creditur. Equarum iugas tondere præcipiunt, ut asinorum in coitu patiantur humilitatem: comantes enim gloria superbire. A coitu solæ animalium currunt ex aduerso aquilonum austrorumque, prout marem aut fœminam concepere. Colorem ilico mutant rubriore pilo, vel quicumque sit pleniore: hoc argumento desinunt admittere etiam volentes. Nec impedit partus quasdam ab opere, falluntque grauidæ. Vicisse Olympia prægnantem Echeratidis Thessali inuenimus. Equos, & canes, & sues inuitum matutinum appetere, fœminas autem post meridiem blandiri, diligentiores tradunt: Equas domitas sexaginta diebus equire, antequam gregales: Sues tantum coitu spumam ore fundere: Verrem subantis audita uoce, nisi admittatur, cibum non capere usque in maciem: fœminas autem in tantum efferari, ut hominem lacerent, candida maxime ueste indutum. Rabies ea aceto mitigatur naturæ asperso. Auiditas coitus putatur & cibis fieri: sicut uiro eruca, pecori cepa. Quæ ex feris mitigentur, non concipere, ut aseres: apros uero tarde, & ceruos, nec nisi ab infantia educatos. Mirum est, quadrupedum prægnantes Venerem arcent, præter equam & suem. Sed superfætant dasypus & lepus tantum.

De uaria generatione animalium. CAP. LXIII.

Quæcumque animal pariunt, in capita gignunt, circumactis sub enixum fœtu, alias in utero porrecto. Quadrupedes gestantur extensis ad longitudinem cruribus, & ad aluum suam applicatis: homo in semet conglobatus, inter duo genera naribus sitis. Molas, de quibus ante diximus, gigni putant, ubi mulier non ex mare, uerum ex semet ipsa tantum conceperit: ideo nec animari, quia non sit ex duobus: altricemque habere per se uitam illam, quæ satis arboribusque contingat.

De murium fœtu.

CAP. LXV.

Ex omnibus quæ perfectos fœtus, sues tantum et numerosos edunt: item plures, contra naturam solidipedum aut bisulcorum. Supra cuncta est murium fœtus, haud sine cunctatione dicendus, quamquam sub autore Aristotele & Alexandri magni

militibus generatio eorum lambendo constare non coitu dicitur: ex una genitos centum uiginti tradiderunt, apud Persas uero prægnantes & in utero parentis repertas. Et salis gustatu fieri prægnantes opinantur. Itaque desinit mirum esse, unde uis tanta meses populetur murium agrestium: in quibus illud quoque adhuc latet, quoniam modo illa multitudo repente occidat. Nam nec exanimis reperiuntur, neque extat qui murem hyeme in agro effoderit. Plurimi ita ad Troadem proueniunt: & iam inde fugauerunt incolas. Prouentus eorum siccitatibus tradunt: & iam obituris uermiculum in capite gigni. Aegyptiis muribus durus pilus, sicut herinacis. Idem bipedes ambulans, ceu alpini. Cum diuersi quoque generis coire animalia, ita demum generant, si tempus nascendi par habent. Quadrupedum oua gignentium laceratam ore parere (ut creditur uulgo) Aristoteles negat: neque incubant eadem, oblitæ quo sint in loco enixa, quoniam huic animali nulla memoria. Itaque catuli per se erumpunt.

Despina hominis anguem nasci. CAP. LXVI.

Anguem ex medulla hominis spina gigni, accepimus à multis. Pleraque enim occulta et cæca origine proueniunt, etiam in quadrupedum genere.

De salamandra.

CAP. LXVII.

Sicut salamandra, aërialis lacerti figura, stellatum, nunquam nisi magnis imbribus proueniens, & seruitate deficiens. Huic tantus rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo quam glacies. Eiusdem sanie, quæ lactea ore uomitur, quacumque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili: idque quod contactum est colorem in uiriliginem mutat.

De iis quæ nascuntur ex non genitis, & quæ nata nihil gignunt. CAP. LXVIII.

Quædam uero gignuntur ex non genitis, et sine ulla simili origine, ut supradicta: et quæcumque ætas aut uer, statumque tempus anni generant. Ex iis quædam nihil gignunt, ut salamandra. Neque est iis genus masculinum fœmininumque, sicut neque in anguillis, omnibusque quæ nec animal nec ouum ex se generant. Neutrum est & ostreis genus, & cæteris adherentibus uado uel saxo. Quæ autem per se generantur, si in mares ac fœminas descripta sunt, generant quidem aliquid coitu, sed imperfectum & dissimile, & ex quo nihil amplius gignatur, ut uermiculos muscæ. Id magis declarant naturæ eorum, quæ insecta dicuntur, arduæ explanationis omnia, et priuatim dicato opere narranda. Quapropter ingenium prædictorum & reliqua subtexat dissertatio.

De sensibus animalium. CAP. LXIX.

Ex sensibus ante cætera homini tactus, deinde gustus: reliquis supatur à multis. Aquilæ clarius audiunt talpæ obruta terra, tam densa atque surdo natura elemento. Præterea uoce omnium in sublime tendente, sermonem exaudiunt: & si de iis loquere, intel-

m u ligere